

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 6 (1892)

Artikel: De Christo Eucharistico
Autor: Commer, Ernestus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761962>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.10.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

DE CHRISTO EUCHARISTICO.

Scriptis ERNESTUS COMMER.

Mirabilis ipse, qui mirabilia solus efficit: nam prima rerum causa Deus secretissimus est.

Cuius naturam nemo nisi luce divina collustratus unquam perspicere valet, eius mysteria silentium potius carmine decet, cum secretum regis abscondere bonum sit.

Sacramenta christiana sacra secreta sunt: intellectu difficile summi regis secretum sanctissimum, quod fortiter est credendum, ut adoretur amore, timoreque quaerendum, ut pietate credatur.

Rebus arcanis obscuritas convenit, qua divinae probantur: quo magis interius agit, eo magis abditur mundi creator, cuius ipsae tenebrae luminis patrem tegunt veste.

Christus tantae molis opus, quod Incarnatio fuit, Eucharistiae sacramento persecutus est: quo Filius divinus inhumanationis opera plus intendit ac latius extendit, et in terra quem vitae cursum confecerat, miro modo repetit, et Eucharisticus exercet sua munera, qui nostra portavit Incarnatus onera.

Audax igitur inquisitio rei divinissimae sit oportet ac supplex, ut lumen oculis humilibus fortius splendeat e fide.

I.

1. Illustris ostensio gloriae divinae, cuius gratia Verbum carnem sumpserat, per Eucharisticum Christum maior est effecta.

Est omnis in Deo ratio boni, cuius natura sese diffundit absolute. Itaque qui finis ultimus ex sua bonitate causaque prima simul oritur efficiens, propriam quoque personam creato suo terminando dedit. Eucharisticus autem Christus nonne re vera filius prodigus, qui non patris tantum bona, sed ipsam bonitatem profudit?

Divinitas occultando se manifestatur, cuius Eucharistia vestigium clarissimum videtur.

Etenim summum bonum divinum, cum funditus a materia liberrimum sit, maximus actus intelligendi penitus est. Sed Christus Eucharisticus essentia divina praeditus eadem semet arcanum praebet, qui nec videtur nec tangitur, sed praesens sub solis absentis substantiae corporeae speciebus modo per intellectum cognoscitur elatum fide coelesti.

Deus optimus est ipse suum subsistens esse, quod fine caret. Cuius infinitionis quoque vestigium panditur: nam Christum, qui plenum totius ordinis est supra naturam totam constituti, continet Eucharistia.

Infinita divinitas nequit immutari: nec Christus ipse conversione panis et vini, qua sacramentum conficitur, ullo modo transformatur. Sol immutabilis interiora domus illuminat: et Eucharisticus, qui transsubstantiatione bonitatem suam nobiscum communicavit, ad nos appropinquans non fit alius.

Atque Deus immobilis, quem mens uniformemprehendit, aeternus est. Nec qui coram sub speciebus adest sine motu, substantiam suam variat: cuius praesentia capit initium finemque solis ab accidentibus, heri hodieque semper idem per saecula manet.

Etiam scientia summa purissimi spiritus actionis divinae signis, quae concluduntur in Eucharistia, nobis insigniter demonstratur.

Quae patet in corporis divini consecratione, quod de Virgine sumptum paratur ibi: panis enim vini que totae substantiae verbi potestate mutantur in Christi corpus et sanguinem, quae sunt in ipsa divina Verbi subsistentia; sed quae corpus illud circumstant sensibusque nostris percipiuntur, accidentia panis vini que non desinunt esse.

Eiusdem quoque scientiae vis in possessione corporis illius, quod sub paucissima panis specie continetur, maxime splendet: adest enim totum Christi corpus ibi conversione, sanguis autem iure nexi, sed anima coniunctione, nec non unione divinitas ipsa. Quod unum corpus idemque pluribus est in locis, pluribus in

hostiis, pluribus in proportionibus. Ac licet sit in plurimis et locis et hostiis et partibus, tamen in partes non dividitur, sed in se manet integrum totum coniunctum.

Quae sapientia Salomonis maximi perceptione corporis illius a comedentibus apparet: corpus enim Domini ne minuitur quidem, dum manditur.

Sed intellectum divinum voluntas sequitur, de cuius amore triumphat Eucharistia. Christus enim seipsum suaque cuncta largissime tribuit: diligens ingreditur os dilecti: ut omnes sint unum, nutrit omnes semet ipso, pacemque summam conciliat, donans ipse donumque. Et dolores suos et acerbam mortem memoranda post se nobis relinquens exinanivit se, qui mitis est et humilis corde, ut solum dilectorum bonum procuraret. Cuius etiam caritas iustitiam liberalitatem misericordiam demonstravit erga miseros et infelices homines, in lecto sacrato dormit, sed cor eius vigilat.

Et scimus, in manus ei dedisse Patrem cuncta, qui per Eucharistiam virtutem manifestaret omnipotentem.

Infinito Deo nulla mensura par est: cuius enim vis nullis limitibus coarctatur, est ubique. Sed humana Christi natura possidet immensitatis partem: existit enim totus Eucharisticus totis in speciebus et in singulis earum partibus innumerabilibus quoque nec non individuis, ut haud divisus plurimis remotissimisque locis assistere queat et, ubique si consecrari posset, etiam poneretur ubique.

Itaque Christus rerum salus Incarnationis artificium sacramento suo sequitur, quo res attributas Deo nobilissimas ostendens extendit eius gloriam clarissime, divinam bonitatem diffusilem complevit, et mediis in rebus creatis, quas eduxerat ex nihilo, sol Eucharisticus pulcherrime resplendet.

2. Sed idem Christus Eucharisticus ipse, quod perfecit, opus Incarnationis intendit ultra.

Incarnatus enim, qui splendor gloriae signumque ratum substantiae Patris est, eius est imago, cui purissimo motus non competit. Ipse Deus absque divinitatis mutatione factus homo: sed in assumpta natura plures mutationes fuere. Ex integro nec non in tempore Verbum caro factum, quod est a Deo factum.

Iugantur quidem extrema, vinculo tamen nullo, sed hominis et Dei reapse fit haec unio. Eucharisticus vero Christus etiam nunc mutatur: nam consecratione novum praesentiae modum, quo magis mutaretur, sibi produxit. Cuius humanitas ipsa quidem, qualis pati nequit, est in sacramento, sed omnes ibi mutationes subit, quae cum statu congruunt inviolabili: nam cum panis et vini speciebus, quibus motus inhaeret, Christus movetur et ad aegros reficiendos manibus alienis fertur.

Incarnationis causa constat ipse duplici tantum natura: sed alia duo sacramenti sunt, natura corporis Christi nec non eorum, quae mutati panis erant, accidentium.

Verbum fit caro, nec convertitur in carnem, sed idem, quod erat, manens per unigenam personam secum carnem colligat, et manet factum, quod non erat, nec desistit esse, quod erat. Panis autem caro Christi corpusque fit eius nec manet, quod erat, sed in Christi corpus et carnem vere conversus est: itaque factus id est, quod non erat, attamen desiit esse, quod erat.

Corporatum Verbum, quod hominis utramque naturam corpore nec non anima spiritali compositam fecit unum cum persona divina, creaturarum rerum reparavit universitatem. Sed omnipotentis opificis artificio creatae naturae corporum panis vinique totae vertuntur in Christi corporis et sanguinis substantias, quae iam subsistunt in divina Verbi substantia, cum Christus homo materiatus sola Filii divini persona sit: nec solum compositum panis illius ipsum, sed utraque pars eius ita vertitur, ut omnia desinant esse, quamquam non rediguntur in nihilum. Iamvero Christus hac mutatione non producit absolute quidem, sed tamen re vera fit ex integro, quia novo modo, quo substantia corporis instar spiritus habet, hic constituitur.

Christus igitur incorporatus homo caroque factus est: Eucharisticus inanimam quoque naturam materia factam conversione tota miraque reddidit divam.

Atque per mysterium prius accidentia singularis humanae naturae cum persona Dei sunt unita divinaque gaudent existentia: per alterum vero sacramentum, licet accidentia panis et vini non cessent esse, tamen haec ita cum Deo coniunguntur, ut Eucha-

risticum praesentem vere contineant. Itaque novo modo prius non usitato Christus rebus cum minimis, quae non sunt, sed potius insunt in altera tantum re, sponte sua duris vinculis constringitur.

Priore sacramento cuncta natura Servatoris humana fit divina, sed integra salva vereque remanet humana: sed altera conversione solae substantiae corporum penitus in aliud transeunt ac desinunt esse, quarum prorsus accidentia sensibus percipienda permanent integrae salvae veraeque species perditorum corporum sensusque nostros afficere pergunt.

Incarnati Christi persona componitur ex duplici natura, sed Eucharisticus cum corporeis accidentibus unitur nova praesentia: quae compositio rebus ex dissimilioribus fere maioris humilitatis atque demissionis quid indicat.

Incarnati Verbi salutaris humanitas est instrumentum, quo divinitas agit, quidquid mirabilium facit, et quaecumque valoris infiniti producit opera. Sed per Eucharisticam conversionem minima corporis naturalis accidentia, quae remanserunt, digna sunt, quibus et Incarnatus ipse divinaque maiestas eius instrumentis utatur. Quare species Christum continentes, quae saluberrimos effectus aspicientibus et tangentibus re vera praestant, adorari cultu divino fas est: nam de quo virtus exit, eius vel fimbriam vestimenti tetigisse sat est ad salutem sperandam.

Verbum Patris divinum verbo Virginis obediens humano caro fit; nam Virgo melius ominata: fiat, inquit, mihi secundum verbum tuum, quae subito virgo mater est de Spiritu Sancto facta. Dixit aeternum Verbum prius fiat, et cuncta de nihilo creata sunt: quod idem tempore Virginis filius ex integro factum. Primus ipse pastor almus verbum consecrationis locutus sibi praesens iterum factus est Eucharisticus, suum corpus in manibus tulit, aluit se semetipso vere, qui verbo quoque sacerdotis subditus in sacramentum protenus venit.

Tanta Verbi dignitas et amplitudo, quod creando rem sacram sui corporis inhumanationis arduum negotium consummat perficit persequitur.

3. Qui plus Incarnationis intendit, conditor Eucharisticus extendit ad plures quoque miraculum stupendum.

Semel enim pro nobis omnibus incarnatus atque passus est: Eucharisticus autem toties cum singulis omnibus iugatur, quoties sacramentum sumunt, qui vere portant in corpore Christum.

Incarnatus hominum naturam communem secum coniunxerat factus homo singularis: singulos homines Eucharisticus secum copulat homo factus universus, vindex generis totius.

Ad alterius enim personam venit, quam sibi nexu corporis obligavit, ut unam rem moralis ordinis arcta consuetudine crearet ex se dilectoque.

Haec amicitia perfecta, quo nihil intimius excogitari potest: ipse se suis cibum mentis corporeum praebet, quo religiose sumentis animum divum constituat et mysticum connubium coniungat. Quisquis igitur Eucharisticum Christum percepit, efficitur Christus alter.

Sed cum salutis auctor suis se colligaverit, ii quoque, qui participes eius fuerunt, inter se plus plusque vinculis dilectionis fortissimis uniuntur. In multos igitur ipse crescit atque corpus sibi novum parat, cuius membra veri Christiani formantur. Et cuius vivum corpus, quod comeditur, non minuitur, tamen divus comes membris minuitur, quae corpus eius edere negligunt, augetur vero, dum manditur a fidelibus servis.

Frugifera vitis Eucharistica, qua Dei viva fertur Ecclesia.

Unus Deus et unus idemque Christus, qui cibus unus unum corpus animat, ad quod formandum incorporatus est et Eucharisticus extenditur. Cuius summae societatis gratia Deus homo res olim gestas in terra novo vivendi genere per saecula repetit stabili numine concors.

Itaque qui rerum principium finisque, medium quoque cunctarum, quas unigenitus Dei Filius in unum redegit.

II.

Humana Christi vita septem partibus distinctis, octava quarum vita videtur aeterna, quasi septem sacramentis absolvitur. Qui conceptus in matris sinu commoratus est, tum natus aequaevam

nobis infantiam sacravit, deinde Nazarethi cum familia solus absconditus, tum prodiit in publicum, porro passus est et ad inferos quoque descendit, et existens a mortuis ad ascensionis usque triumphum mansit in terra.

1. Cuius divinitas est de coelo, naturam sumpsit humanam corruptione purgandam. Corpus igitur humanum de materia formatum fuit, ut ipsa natura per assumptionem curaretur. Qui vero de coelo terrena cepit accidentia, panem vinumque sibi cum formis eorum propriis et intimis e materia transsubstantiavit.

Qui conditione naturae fuerat in utero corporis feminei, sed a Virgine supra conditionem conceptus erat, idem naturalibus in accidentibus sacramenti, quod verbo supra conditionem naturae perficitur, coram sistitur.

Cuius corporis conceptionem tota Trinitas peregit, eius Eucharistica quoque consecratio totius Trinitatis efficientis opus est; sed Dei Patris virtus, quae Christus est Filius Dei, per sanctum Spiritum, qui Filii Spiritus ipse, formavit sibi corpus humanum, quod assumpsit, idemque Patris Filius panem, quem vertit in suum corpus Eucharisticum, per Spiritum Sanctum consecrat.

Ipsa vero corporis Domini conformatio sine mora fuit uno conceptionis momento perfecta: panis autem vini que conversio verbis consecrationis prolatis statim tota perficitur nullo labentis temporis motu.

Verbum Dei per animam corpus assumpsit, sed animam per intellectum; quare corpus Christi iam primo momento conceptus anima rationali totum fuit animatum. Conversionis autem totius primo momento iam substantiae panis et vini transeunt in Christi corpus et sanguinem; quo facto relinquuntur accidentia, quae sacramenti tantum gratia rationeque cum Verbo componuntur.

Caro Christi concepta simul erat assumptaque penitus a Verbo: corpora, quibus utimur ad sacramentum conficiendum, simul etiam convertuntur ac per hoc omnino cum Verbo iugantur.

Quae quidem Christi conceptio corporumque transsubstantiatio vera miracula totius naturae vires superantia sunt effecta.

Et primam vitam post conceptionem Dei Filius homo perfectus atque beatus in tenebris ventris materni degit, nec velatus

Eucharisticus in gremio specierum caliginoso vivere nobiscum recusavit.

Mater puerulum sub corde gerens omni festinatione properavit ad Elisabeth in montana, ut ipsa salutata Christus illuminaret praecursorem nondum natum, et exultans laetitia cecinit: magnificat anima mea Dominum. Et luminis aeterni minister auctorem certae salutis Eucharisticum favente Dei genitrice fert ad illuminandos eos, qui sedebant in tenebris et in umbra mortis, ut Dominum cum matre magni faciant.

Quae mater expectabat summo cum desiderio partum, ut sibi filii facies ostenderetur, cui sumendo populus christianus, ut eius vultu satiatur, desiderans praestolatur quotidie.

2. Infantis aetatem primaevam Christus Eucharisticus redintegavit sedulo.

Nam vere natus sine laesione doloreque matris virginis praesto quoque sacramento fit nullo de coelis egrediens motu.

Bethlemae genitricis alvum reliquit, quia domus panis oppidum dicebatur: ipse vero se panem vivum, qui de coelo descendit, et dixit et fecit.

In oppidulo peregre natus, qui per humanitatem, quam suam fecit, in aliena natura generatus erat, et in aram prodiit humilem sub aliena specie latus.

Idem Christus homo nobilis abiens in regionem longinquam pauper egebat in deversorio, ut mansiones in domo Patris sui nobis multas praepararet: egens amoris Eucharisticus ingreditur in deversorium nostrum, ut in nobis sibi cum Patre condat aeternam mansionem.

Hiemis asperitatem selegit, ut puer recens natus carnis afflictationem pro nobis pateretur: qui frigore cordium nostrorum vehementius aduritur Eucharisticus, ut inflammet ea suae caritatis igne.

Positus in praesepio, quo pabula gregibus suppeditantur, in altaris tabula pascua suis ovibus ministratur.

Omnipotens Sermo factus infans sine sermone cubans in cunis flevit: in aris Verbum caro factum sine motu corporis ac sine voce rursus iacet impotens.

Qui divinitatem recondidit in praesepio, vel humanitatem sacramento celatam reliquit.

Ibi iam comprehendens anima divinitatis essentiam scientia-que plenus occultavit cuncta: pati vincique nescius ac beatissimus hic nihil ostendit gloriae, in quam summam venit.

Filius Virginis in sede sapientiae lactens mundum providentia regit, qui pro gratiis distribuendis in Eucharistico solio matris utitur sapientia.

Ibi Ioseph, qui propius accedit ad vicem Patris, nutritius corporis adest, quem patronum mystici sui corporis idem Dominus constituit Eucharisticus.

Adoratum Deum natum gloriati sunt angeli, qui ministrantes Eucharisticum circumstant, et cui soli regi serviunt, eius sacramenta vigiles custodiunt.

Christi primus adventus ad omnium salutem fide parandam debuit occultus esse: sed et alter adventus Eucharisticum decuit clandestinus ad meritum fidei promovendum.

Selectis autem spectatoribus, per quos ad alios deveniret, puer natus manifestandus erat, qui fidis quoque testibus, ut reliquorum fides roboretur, Eucharisticus panditur miraculis.

Et ortus ostensi multiuges arbitri sunt ex omnibus hominum conditionibus electi, qui salutem per Eucharisticam Christi praesentiam ad omnia mortalium genera perventuram praedicerent.

Pastores quidem simplices vilesque Iudaeorum primitiae fuere, quos adventum regis ab angelis edoceri congruit: magi vero sapientes potentesque gentium primitiae stella duce venerunt ex orientalibus terrae partibus, ut orientem supra naturam solem consalutarent fideliter.

Illos apostoli sanctissimi gentium pastores et plurimi doctores Ecclesiae, quibus arcana Christi revelantur, secuti sunt: istorum vestigia reges et principes numen Eucharisticum venerantes servare pie solent.

Adoraverunt illi confessione fidei natum, quos martyres Eucharistiae fidem profitentes aequaverunt imitamine celebri: quae munera tria contulerant isti, diligenter ab Ecclesia mystico frequentantur more.

Aurum nato regi, thus incarnato Deo, myrrha patienti Reparatoris humanitati sunt oblata.

Primum quidem munus sapientiae virtutisque cum thesauris regum regi colendo tribuitur Eucharistico; sed alterum crebris cum precibus offert recondito Deo sacramenti religio; tertium vero Christo conferunt in cruce pendenti, qui sacrum castis orandum moribus faciunt absque cruore.

Olim quae munera synagoga ferebat, lumen, quod omen fidei censetur, et odores accensos, quibus amor notatur, et panem, quo spes signatur, a magis instaurata sunt: qui pro lumine corporeo dederunt aurum sapientiae plenioris indicium; thus vero signum caritatis permanentis variare non debuerunt, sed myrrham spei causa fortioris ex poenitentia factae cumulaverunt. Et auro quidem solempnis ritus Eucharistiam celebrat, quae reverentia summi numinis adoletur thure masculo coliturque stillata de cordibus contritis myrrha.

Magos ad praesepe sidus adduxerat insolitum: splendore fidei magistro duceque stella maris Maria fidelissima cultores Eucharisticum Dominum quaerunt in cella.

Innocentissimus autem parvus circumcisis est effuso sanguine primo, qui sumitur a fidelibus et a salvandis bibitur spiritu.

Etiam nomine Jesu, quo dulcius nihil hominibus, nihil apud Deum potentius, nuncupatus est, qui sacramento salvat omnes.

Deo puerulus exhibitus in templo, qui templum sibi Deoque maius construxit oblatus consecratione.

Ab Herode cum matre per loca deserta fugit ad Aegyptios impios, cuius Ecclesia recondens Eucharisticum Dominum premitur a diabolo, sed qua terra patet, diffunditur, ut ad Mariae filium convertatur impius orbis.

Et remansit puer Jesus annos duodecim natus Hierosolymis, quem parentes in templo sedentem medios inter doctores inveniunt post triduum. Qui cum dixisset, in his esse se, quae Patris sui sint, oportere, remansit Eucharisticus in Ecclesia Dei reperiendus inter medios eius doctores, quos de mysterio suo fecit certiores.

3. Descendit autem cum parentibus Nazarethum, quibus subditus, ut proficeret, vitam privatam per annos octodecim duxit. Et mater eius omnia, quae locutus erat, verba conservabat in corde. Quae tertia pars abscondita vitae Jesu resumitur Eucharistia: quasi privatus enim per saecula reconditur hic proficiens apud homines aetate mundi gratiaque. Qualis etiam moratur in aede matris Lauretana, quam dilexit unice: nam Verbum, quod ibi caro factum, matri subditum portenta non desistit perpetrare.

Qui silentio Nazarethi solus oravit manibusque laboravit parentibus obediens, solus quoque tranquillis silentiis Eucharisticis pro nobis precatur et alliciendo peccatores alendoque laborat obediens parentum votis, ut absconditae cum Christo vitae familiaris in Deo capiamus exemplum.

4. Sed Christus anno trigesimo vitam publicam suscipiens, cuius breve spatium complevit operibus immortalibus, a Joanne baptizatus ea, quae sunt novae legis, ieiunus et tentatus inchoavit, primum tunc orsus docere nec non praedicare. Similiter Eucharisticus cum baptizatis ieiunis et tentatis assiduissime versatur. Medius enim vestrum stetit, quem vos nescitis, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, perficiens legem novam.

In mundum venit, ut testimonio veritati perhibito liberaret homines a peccatis, quare familiariter iis utebatur, ut accessus ad Deum per ipsum pateret. Neque solitariam tantum vitam traduxit Eucharisticus, sed regnum Dei praedicans in publicum processit, quocum publicani quoque peccatoresque discumbebant. Neque vitam austeram maluit agere, sed adoptans ipse consuetudinem nostrae consimilem, factus omnibus omnia, pastor ad oves perditas missus, ut accederent ad eum, dedit hominibus fiduciam.

Christum in terra quidem pauper vivendi modus officio praedicationis congruus decuit, ut nos illius inopia divites essemus, cuius sola divinitate corrigeretur orbis terrarum. Qui pauper Eucharisticus pulcritudine maiestate gloria relictis documenta voluntariae paupertatis, quae maximae videtur humilitatis indicium, sub vilibus speciebus dedit praesto.

Omnia legis sacratae praecepta capessivit, ut auctor ipse legem veterem consummaret in se, reliquos autem servitio liberaret, qui ne summo quidem sacramento conficiendo nec non administrando praecepta ritus novi salutaria solvit.

Etiam miracula doctor excellentissimus edidit, ut Deus in eo gratia non adoptionis quidem sed unionis esse manifestaretur, et ut doctrina divina confirmaretur, quam maximo sacramenti prodigio probavit, imo superavit. Sed initium signorum fecit Iesus nutu matris in Canae nuptiis aqua versa melius in vinum, cum maius sui corporis praemonstraret ostentum.

5. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum. Cuius labores duri, quos pertulit, et iniqui casus et acerba sors Eucharistia quoque stupendo miroque modo resumuntur.

Etenim ligno se sinens affigi restituit id, quod primus parens contra mandatum Dei capiens pomum vetiti ligni sustulerat, et obediens ad mortem Patri factus Eucharisticum fructum vel dulcissimum crucis ex arbore carpsit.

Qui positus aram super cruentam de lignis factam, qualis odoribus holocaustorum veterum multis fumabat olim, solo caritatis igne combustus est eodem, quo sacrificium suum consummatur adhuc incruentum. Sed qui sublimis in crucem celsam sublatus est, Eucharisticus ad se trahit cuncta. Nam mors Domini verum sacrificium, quod sine sanguinis effusione repetendum. Necem vero Christi, qua separatur anima corpore, separatio corporis et sanguinis Eucharistici consequens vim verborum sacrorum rei memoria repraesentat.

Cuius divinitas patientis ne morte quidem discriminatur ab anima nec corpore nec sanguine, sicut nec divinitas nec anima relinquit Eucharisticum corpus atque sanguinem.

In mortis autem triduo Christus non erat homo, qui potestate verborum consecrante constituitur non homo, sed solum corpus et sanguis solus, quae nec viva nec mortua, sed nihil nisi merum corpus merusque sanguis Domini praesentia sunt.

Tum sepelierunt eum, sicut mos est Judaeis sepelire: sed cui consepelimur in mortem, sepultus est accidentibus Eucharisticis.

Involverunt sindone munda corpus Jesu: linteo mundo corpus operitur Eucharisticum, quod pura potius suscipitur mente.

In horto sepultus est, qui morte sepulturaque sua nos a morte liberavit, qua multabamur in horto parentis Adae, nunc autem dormiens in horto reperitur Eucharistico.

Habitatione mortis aliena reconditus, qui pro salute caesus est aliorum, residet Eucharisticus aedibus in alienis.

In vita qui domo caruit, etiam post mortem pauper in alieno sepulcro ponitur et nudus a Josepho cooperitur: quem pauperem nudumque sub aliena specie complectuntur amatores Eucharisticum.

In novo monumento positus exciso de petra, qui novissimo quoque committitur, quod minister ope consecrationis e dura corporum materia pie sculpsit.

Cuius advolvitur ostio monumenti saxum magnum: nam praeter Eucharisticum sponsum nihil in pectus nostrum licet penetrare.

Oportet igitur omnia, quae circa corpus Jesu sunt, esse munda nova magnaque.

Nec Domini corpus anima cassum pulveri sordido misceri potuit, quod ad virtutem divinam monstrandam non est corruptum: cuius ne resolutis quidem speciebus Eucharisticum corpus nec putrescit neque cineri miscetur.

6. Tandem Christus ad inferna loca descendit et sanguine testamenti sui suos de carcere vinctos emisit. Cuius anima nec genere motus eo, quo corpora, sed potius quo spiritus puri moventur, ad inferos desiliit, eius quoque corpus gloriosum nullo genere motus in sacramentum delabitur.

Ipse vero Christus in sepulcro totus et in inferna quoque sede totus erat et ubique, qui totus in sacramento, imo totus in panis atque totus in vini speciebus.

Sed cum partes infimas terrae penetrasset, statim piorum cupida salutis agmina luce gloriae perfudit, qui corporis sui piaculo lucentes animas igne purgatorio solvit.

7. Traditus propter delicta nostra resurrexit propter iustificationem nostram. A mortuis exstitit et per quadraginta dies

adhuc cum suis mansit: revocatus Eucharisticus novo praesentiae genere dux itineris per loca deserta cum populo suo manebit ad saeculorum finem.

Cuius corpus et anima viribus naturae creatae propriis iterum secum coniungi non potuerunt, sed divinitate sua potius Christus ad vitam revocandus erat. Quod corpus per unitam secum divinitatem resumpsit animam, quam deposuerat, et anima pariter corpus, quod dimiserat. Itaque Christus ipse suae resurrectionis stupendae causa, qui conversionem non minus mirabilem panis in proprium corpus et sanguinem viribus suis divinis ita producit, ut, quae consecrantur, corpus et sanguis se praesentia mutuo petant.

Quod Christi corpus post resurrectionem fuit verum corpus eiusdem naturae, cuius prius fuerat, et integrum gloriosum cum ipsis quoque vulnerum sacrorum cicatricibus exstitit: quod idem vigens exhibetur Eucharisticum nobisque conservatur.

III.

Homo Christus Jesus unicus inter homines et Deum mediator est ipse via veritas vita: nam quibus dona Dei distribuit et leges dedit, et pro quibus de visceribus suis satisfecit, ipse rex et doctor et pontifex turbas mortales cum Deo coniunxit.

1. Unctus enim nexu cum Verbo Dei mirabili, quocum vere venit in unam personam, regnabit in domo Jacob in aeternum. Qui Christus Eucharisticus idem reliquos omnes verus superavit imperator.

In quem Deus, quidquid potestatis atque dignitatis hominis natura capere potest, ample contulit, Eucharisticus ipse, quam sanguine suo fundaverat, Ecclesiam regit et ab hostibus tuetur.

Justus et clemens in regno praeest, cuius membra vitali gratiae divinae rore rigat, qui verus in mundo Deus absconditus regnat. Nam sacrosancta transsubstantiatione dominator rerum summus probatur atque secum consortes fideles in societatem pacificam, cuius ipse summum bonum, fida congregat manu.

Qui communionem sui corporis ac sanguinis vivi coenatos homines, in quibus ipse caput vivum vitamque producens haeret,

in diva maioris sui corporis membra vertit. Quo facto divina virtus augetur, Christus altus crescit, divinitas ad sanctos homines extenditur, et honore Deus unus trinusque colitur summo. Nam familia creatoris reconciliata per Eucharisticum regem cum Patre, cuius olim patrimonium prodiga dissipaverat ipsa, Spiritu quoque sanctissimo misso repletur lenitur pacatur.

Itaque Christus Jesus Eucharisticus rex est et angelorum suorum, quibus gaudio visus esca factus est, et veterum quoque patrum, quibus idem panis spei fuerat, qui redemptos saturat vultu.

Qui rex est apostolorum suorum, pro quibus amicis effuderat animam, ut fundamenta regni perennis super Eucharisticum lapidem iacerent fortes in bello constituti terrae principes, in quam sonus exiit eorum praenuntians laborem maximum Dei.

Et idem rex martyrum, qui vitam mundi contempserunt, corpora sua propter Deum tradiderunt ad supplicia pro Christi nomine morientes, et in amore fraterno perstiterunt: una semper mens omnibus fuit et una fides, et uno pane fortitudinis omnes roborati sunt.

Qui rex Eucharisticus confessorum servorum bonorum fideliumque laudatur, quos iustos per vias rectas ostenso regno Dei deduxit.

Virginum quoque sponsarum sapientium et prudentium rex generosus: in quibus enim Deus, cum vigilantes invenerit, solium sibi posuit, eas peperit Eucharisticum vinum.

Et rex magnus omnium sanctorum, quorum viam novit ipse, cuius calicem biberunt amici Dei facti: nam populus est appropinquans ad eum: quae gloria sanctis omnibus, qui fratres consortes te confitentur concordibus animis, o beata Trinitas, o una divinitas.

Ut autem rex in regno placida prosperitate iuvetur, ad diurnitatem dominationis expedit, ei credi nec non eum diligere: sed nemo maiore princeps amore dignus, quam qui factus Eucharisticus adest; nec magis cui creditur quam vero veracique Deo, qui sola fide cognoscitur regum rex omnium praesens.

Et amor Eucharisticus, qui tanta passus est, orbari sponso

suo suam non patitur Ecclesiam: nec nauta divinus abest a Petri nave.

2. Homines illi, qui viderant, Jesum multiplicatis panibus signum fecisse, dixerunt: hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.

Itaque qui pastor unus generali refectioe populi fidelis, idem magister unus immittendo cognitionem.

Nec qui docere debuit omnes et illuminare, verum docuit aliud a se, sed semet ipsum veritatis plenum.

Quod Verbum Patris homo factum nos omne verum verbo docuit, imo docet exemplo factum nec fictum sanctitatis exemplar ipsum.

Eucharisticus igitur doctor, qui lux mundi fuit, ut omnem Dei voluntatem demonstraret, ipsius sacramenti miraculis unius trinique Dei vestigia lustravit.

Quod opus idem divinae potentiae philosophiam quoque naturalem lucide declarat, declaratam probat, probatam perficit, et aciem docilis ingenii superat atque cognitionem mentis fidelis ipsam supra naturam fortiter elevat.

Christus enim nos Eucharisticus docuit, ab accidentibus rei substantiam differe, quae remaneant altera sublata, nec vim separatis eis inferri.

Edocet tum, quarumcunque rerum mutationem Dei potentiam non excedere, qui, quidquid rei creatae sit, in aliud mutare possit.

Instruit deinde signo conversionis mirae, naturam corporum duabus substantiae partibus componi, quibus invicem coniunctis unum corpus naturale fiat non magnum vel parvum quidem, sed aptum magnitudini nec non egens eadem. Quid extensa magnitudo sit, ac quomodo ceteris rei qualitatibus subiciatur, etiam traditur, cum corpus verum Domini sacramento praesto sit extensum, quod tamen in loco spatii, quod eo repleatur, non existat.

Praeceptor Eucharisticus etiam rerum maximum demonstrat ordinem divinitus inditum mundo, cui praeest ipse, qui fecit, nec subest, qui vel agere praeter illum potis videtur.

Philosophus autem divinissimus, qui res naturales factis mysticis declaravit, et mores auctoritate summa praecepit et cunctas virtutes exemplo confirmavit humilitatis et demissionis, caritatis et misericordiae, iustitiae prudentiae pietatis et religionis.

Sed qui, quo nos erudiret, opus arte magistra maximus invenit, ipse mentes interius illuminat eorum, qui sacramento suo suppliciter utuntur: in quo speculo cultores Eucharistici Christi Deum cognoscere perdocentur, ut eum, cuius ipsi specula facti sunt, ita post vitam mortalem, sicut est ipse, speculatores immortales videant et beate vivant cum pace.

3. Etiam sacerdos in aeternum secundum Melchisedech regis ordinem Christus creditur creatus. Omnis enim gratiae divinae caput est ipse, cuius summum ius pontificium plenis in gratiis consistit. Qui pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem semel introivit in sancta, Christus est una victima propter singulare pretium nostrae redemptionis.

Fidelis igitur sacerdos venit, ut voluntatem Patris faceret, dedit se pro mundi vita, Deum vero, cui rigore iustitiae satisfecerat, per sacrificium nobis propitium reddidit. Et iuge sacrificium, sine quo nulla religio, flamen Eucharisticus facit. Interiori vero nota mentibus impressa, qua divino cultui mancipantur, reliqui sacricolae partem capiunt illius sacerdotii: quo munere destinantur, ut ministerio, quoties voluerint, consecrationem faciant.

Christus autem princeps offert in propria specie sacrum, qui sub sacramenti speciebus res est oblata. Qui consecratione non destruitur nec mutatur, sed victima ponitur et offertur: sed sumptione sacrum consummatur, qua Christus sub speciebus contentus et immutatur et in sacramento desinit esse.

Quo sacro piaculum crucis commemoratur, eo quidem nosmetipsi Deo Trino perficimur aeternum munus. Nam tantae sanctitatis haec ara Christi, ut in ea Spiritus Dei sanctus et dona populi sui sanctificet et eorum corda, qui Christum sumunt Eucharisticum, comiter emundet.

Itaque per Eucharisticum sacerdotem, quos expiavit, etiam consummantur, ut homines Dei nec non in ipso Christo maiores homines efficiantur.

Ave rex Eucharistice, salve magister unice, pontifex esto nobis in omne tempus salutatus.

Te diligimus, imperatorem te facimus, imitari te volumus omnes.

Tu pater, amicus, tu vere princeps, solus dignus et fortis et iustus et bonus Jesus. Jo tu solus pastor almus alens alios tuo corpore.

Tu generis humani singularis amor et ingens desiderium.

Exemplum militiae tu quidem, qui praemium quoque victorum; imo tu nostra victoria, qui mundum vincis.

Tuere nos, tuere rempublicam; nam bene tibi committimus, quos ante servasti, quos nemo praeter te solum valet salvare.

Mirabilis enim, qui solus mirabilia facit Christus, umbri-ferum sacramentum condidit, quo sol Eucharisticus radios humanitatis divinae, ne nimis coruscent, suaviter temperat.

Ast in umbraculis eius, quem desideraveram, sedi, cuius mihi coelestis fructus est dulcis.

Ergo non amplius in tenebris et in umbra mortis capti, sed illustrati potius hoc orto sole cum viatoribus in itinere frugem vitae comedimus, ut victores in patria cum beatis angelis victuri lumine fruamur ipso.

Quod admirandum creditur, est mirabile creditu; non est ei laudis abunde, quod non percipitur mente: sed magis mirum nihil omnipotenti Deo.



BEITRÄGE ZUR GESCHICHTE DER NEUEREN PHILOSOPHIE.

VON DR. G. GRUPP.

4. Herbart.

1. In Band V dieses Jahrbuches S. 223 ff. haben wir auseinandergesetzt, wie Herbart die rationalistischen Moralprincipien, welche Kant alle verwarf, zu einem zusammenstimmenden Ganzen verband. Er stellte das Princip der Gerechtigkeit (Hobbes,